Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35083
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



30

dispersi sunt gentes quas dixerat dominus
illis. Et commixti sunt inter gen-
tes et didicerunt opera eorum: et servierunt
sculptilibus eorum: et factum est illis
in scandalum. Et immolaverunt fi-
lios suos: et filias suas dæmoniis.
Et effuderunt sanguinem innocentem:
sanguinem filiorum suorum et filiarum su-
arum. quas sacrificaverunt sculptilibus
chanaan. Et contaminata est ter-
ra in sanguinibus: et contaminata est in
operibus eorum: et fornicati sunt in adin-
ventionibus suis. Et iratus est furore
dominus in populo suo: et abhominatus est
hereditatem suam. Et tradidit eos
in manus gentium: et dominati sunt eorum
qui oderunt eos. Et tribulaverunt
eos inimici eorum. et humiliati sunt sub
manibus eorum: et sæpe liberavit eos.
Ipsi autem exacerbaverunt eum in con-
silio suo: humiliati sunt in iniquita-
tibus suis. Et vidit cum tribularentur:
et audivit orationem eorum. Et memo-
ratus est testamenti sui: et pœnituit eum
secundum multitudinem miserationum suarum. Et
dedit eos in misericordias: in conspectu omnium
qui ceperant eos. Salvos fac nos
domine deus noster: et congrega nos de nationi-
bus. Ut confitemur nomini tuo sancto:
et glorietur in laude tua. Benedictus do-
minus deus israel a sæculo et usque in sæculum: et di-
cat omnis populus fiat fiat. psalmus. cvi
Confitemini domino quoniam bonus: quo-
niam in sæculum misericordia eius. Dicant hi
qui redempti sunt a domino: quos red-
emit de manu inimici: et de regionibus
congregavit eos. A solis ortu et
occasu: ab aquilone et mari. Erra-
verunt in solitudine in inaquoso: viam
civitatis habitaculi non invenerunt.
Esurientes et sitientes: anima eorum
in ipsis defecit. Et clamaverunt ad
dominum cum tribularentur: et de necess-
itatibus eorum eripuit eos. Et deduxit
eos in viam rectam: ut irent in civi-
tatem habitaculi. Confitentur
domino misericordiæ eius: et mirabilia eius fi-
liis hominum. Quia satiavit ani-
mam inanem: et animam esurientem
satiavit bonis. Sedentes in tenebris
et umbra mortis: vinctos in men-
dicitate et ferro. Quia exacerbaverunt
eloquia dei: et consilium altissi-
mi irritaverunt. Et humiliatus
est in laboribus cor eorum: non erat qui
adiuvaret. Et clamaverunt ad dominum cum tribularentur:
et de necessitatibus eorum liberavit eos. Et
eduxit eos de tenebris et umbra mor-
tis: et vincula eorum disrupit. Con-
fitentur domino misericordiæ eius: et mirabi-
lia eius filiis hominum. Quia con-
fregit portas æreas: et vectes ferreos
confregit. Suscepit eos de via iniq-
uitatis eorum: propter iustitias enim suas
humiliati sunt. Omnem escam ab-
horruerunt animæ eorum: et appropinque-
runt usque ad portas mortis. Et
clamaverunt ad dominum cum tribularent-
et de necessitatibus eorum liberavit eos. Mi-
sit verbum suum et sanavit eos: et eripuit
eos de interitionibus eorum. Confitentur
domino misericordiæ eius: et mirabilia eius fi-
liis hominum. Et sacrificent sacrificium
laudis: et annuntient opera eius
in exultatione. Qui descendunt mare
in navibus: facientes opera in aquis
multis. Ipsi viderunt opera domini: et
mirabilia eius in profundo. Dixit
et stetit spiritus procellæ: et exaltati sunt fluctus
eius. Ascendunt usque ad cœlos. et
descendunt usque ad abyssos: anima